Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26581
Copyright: Admont, Benediktinerstift

ut non omnibus aeque nota est: immurmurant aliquando adversus bonum dispensatorem qui murmurare non audent adversus iustum iudicem. Dispensationes igitur ita libenter deceant, ut si male meritis impendere misericordiam, bene meritis non inferant violentiam. Ad id ipsum provocabam filiali dilectione paternitatem vestram, quia dominus Odo Cameracensis episcopus anxie gemit multis sibi congemiscentibus, quod Radulfum Brebantensem archidiaconum sine audientia, sine iudicio archidiaconatu suo privastis [spoliastis], qui in romana ecclesia semper fuit, Gualterum vero sedis apostolicae impugnatorem eodem archidiaconatu investistis. Unde tam pro amore iusticie quam pro honore sedis apostolice consulendo supplicamus sanctitati vestrae, ut si alicuius importunitate extorta est de ore vestro in bonum mutari sententia, ita discretione vestra modificetur, ut religiosi episcopi anxietas relevetur, et boni interius fratres non graventur, quatinus mihi facto male meriti de sua praesumptione non valeant gloriari, nec boni animi a sua spe cadentes cogantur contristari. Virorum enim fortium antiqua laus est: parcere subiectis et debellare superbos.

De contentione inter duos abbates pro una ecclesia.

Richardo dei gratia Albanensium episcopo, sanctae sedis apostolicae vicario, Ivo humilis Carnotensis ecclesiae minister, obedientiam et salutem. Frequenter pulsat aures vestrae sollicitudinis Bonaevallensis abbas negociorum suorum querelis, quas plurimum oratoria declamatione exaggerans, tamquam ego aliquid de concessione sibi a me facta minuam et abbati Blesensi concedam. Ego vero illibatum unicuique defendere volo quod concessi, cum abbati Bonaevallensi nichil aliud concesserim nisi quod a possessoribus immo detentoribus cuiusdam parrochiae nostrae posset adquirere. Ipse vero etiam quae habere ab eis non potuit vult mea concessione extorquere. Blesensis vero abbas reliquas partes eiusdem ecclesiae, quas Bonaevallensi abbati nemo concesserat, a detentoribus obtinuit, quas si abbati Bonaevallensi communicare voluisset, iam pax inter eos reformata fuisset. Qua in re quia dictante iusticia Blesensi abbati violentiam inferre non valui, ita litem istam terminare volui, ut quisque portione sibi concessa contentus esset, et alterius metas alter non occuparet. Sed infinita monachorum cupiditas infinitam manere facit discordiam. Propterea non succenseat in vestra discretio, si in hoc negocio quod volo implere non valeo. Praeterea satis iniuste conquestus est Bonaevallensis abbas circa monasterium suum iudicium non esse servatum, quod in Floriacensi concilio promulgatum fuit de contentione unius ecclesiae inter abbatem monasterii Carnotensis et abbatem monasterii Bonaevallensis. Novit enim vestra, quia sacramenta in praefato concilio adiudicata cum omni diligentia facta sunt, sed abbas Bonaevallensis ea audire contempsit, quia sibi ea obesse perspexit, cui praecipue sua voluntas ratio est et auctoritas.

De novo mandato quod caritatem impugnat.

Richardo dei gratia Albanensium episcopo, sanctae sedis apostolicae vicario, Ivo humilis Carnotensis ecclesiae minister, debitam et devotam obedientiam. Iuxta consilium et admonitionem vestram abbates Blesensem et Bonaevallensem convocavi ad praesentiam meam, ut ex officii nostri debito aut pacem inter eos reformarem, aut litem quae inter eos erat iudiciario ordine terminarem. Primo itaque aditu ad hoc intendi, ut quartam partem ecclesiae de qua lis orta est, licet nondum eam quamvis a me concessam obtinuerit, a possessoribus ei quietam facerem, deinde ut aliam quartam nec a me nec ab aliquo sibi concessam adquirerem, quatinus ex benivolentia sola sic in alienos labores intraret, et colligeret ubi non sparsit, meteret ubi non seminavit, ea tamen conditione, ut si de cetero aliquae lites aliaeve inde moverentur, utrique abbates pro pace obtinenda similiter laborarent, si quid esset expendendum similiter expenderent, et commoda et incommoda aequa lance dividerent. Cum igitur huic dispensationi Blesensis abbas etsi non libenter tamen assensum praebuisset, Bonaevallensis abbas nec meo consilio voluit acquiescere nec iudicio. In hoc vero negotio nullam potest idoneam causam praetendere nisi fortassis illam poeticam, quia omnis potestas regni impatiens consortis erit, et innititur quodam novo et hactenus inaudito mandato, quod potius impugnat caritatem quam sequitur auctoritatem. Quod tamen si inviolatum manet, plus proderit Blesensi quam Bonaevallensi abbati. Habuit namque Blesense monasterium partem decimarum et oblationum antiquis praecedentibus annis pertinentium ad ecclesiam de qua ista contentio orta est, sicut evidentia rei probat, et ipse abbas probare potuit cum ei necessarium fuit. Hoc mandatum